Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIS FEVDALIS

DE

DIVISIONE FEVDI SVCCESSIONEM SIMVLTANEE INVESTITORVM NON RESTRINGENTE

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

CONSENSV

PRAESIDE

DN. IO. GOTTLIEB SIEGEL D.

IVR. FEVD. PROF. PVBL. ORDIN. ACADEM. SYND. REG. ET ELECTOR. CVRIAE SVPREMAE PROVINC. NEC NON CONSISTORII LIPSIENSIS ADVOCATO

DIE XX. DECEMBR. MDCCXLVIII.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

AVTOR ET RESPONDENS

HENRICVS GOTTLOB SCHVLER,

DRESD. MISN.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



VIRO

ILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

CAROLO WILHELMO GAERTNERO

IVRISCONSVLTO PRAESTANTISSIMO
HAEREDITARIO DOMINO IN ROEHRSDORF,
ET LVTTICHAV

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI
ET SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI
SAXONIAE A CONSILIIS INTIMIS
REI BELLICAE ET APPELLATIONVM

PATRONO SVO

MAXIMA ANIMI PIETATE COLENDO.

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME,

PATRONE SVMME VENERANDE.



a eſt Virorum meritis in Patriam, et illos inprimis, qui bonis ſe litteris ſerio dedicarunt, excellentium, laus non vltima, vt ad ipſos, tanquam Deos ſtudiorum, confluant vndiquaque illi, quibus, vt aliquid in litterarum ſtudiis praeſtent, patriaeque aliquando fiant vtiles, curae eſt, quam maxime cordique. Cum autem duplex praecipue talis confluxus cauſa reperitur: Duplici etiam ex fonte laus Maecenatum emanabit. Namque, vel, vt gratum pro acceptis beneficiis animum teſtentur, concurrunt ad Patronum, litte-

rarum amantes studiosi: vel, vt ipsi, perque ipsum, patriae fiant notiores, copiaque, ipsius auspiciis, sibi contingat; illam, quam sibi compararunt, supellectilem, in aliorum, patriae inprimis, vsum conuertendi, suique simul animi tranquillitati consulendi. Vtrumque laudem parit non exiguam iis, quibus Reipublicae, simulque litterarum salus creditur, et incrementum. Quid enim maius esse potest, quid magis excelsum, quam id curare, quam eius incrementis inuigilare, quo in terris nil est humanius, imo nil salutarius? Quid amabilius esse potest, quam multorum saluti prospicere, quae ex serio bonarum litterarum studio manat, et nascitur? Quae cum ita sint, nec illis id vitio verti poterit, qui, quando id egerunt serio, vt ad patrios vsus se reddant aptos et idoneos, summis viris de suis laboribus reddunt rationem, ipsorumque praesidio se commendare student

dent

dent ſedulo. En rationem, VIR ILLVSTRIS, Patrone ſumme ſuſpiciende, quae me impulit, vt hoc qualecunque ſtudiorum meorum ſpecimen, TIBI inprimis dicarem atque conſecrarem. TVA enim in litteras, et litterarum amantes, merita, nobis etiam celebrata, notiora ſunt, quam vt maleuidenſi meo penicillo deſcribi, et magis euulgari, aut poſſint, aut debeant. Quae tanti Patris veſtigia, non vulgari cum laude, Filii etiam legunt, in hac ipſa degentes Academia, Iuuenes grandi animo agitati, et ob celerem in optimis litteris progreſſum, magna conquaeuis ſpondentes. Quorum cum conſuetudine mihi etiam adhuc nonnunquam frui liceat, ipſique ſuo mihi exemplo calcar addiderint, iuſtiſſimam ſane talium auſuum cauſam me puto reperiſſe. Nec nunc quidem aliud eſt, quod magis optem, quod cupiam magis, quam, vt, quod TIBI modeſtiſſime offero,

fero, ſtudiorum meorum Academicorum ſpecimen, ſerena, qua ſoles, fronte accipias. Deum Ter Optimum Maximum precibus ex imo cordis affectu promanantibus adoro, vt TE, in patriae vtilitatem, Reipublicae litterariae ornamentum, diu adhuc, ſoſpitem ſeruet, atque incolumem. Sic per longam adhuc annorum ſeriem licebit mihi, me omni, qua par eſt, animi demiſſione, vocare ac eſſe

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME

ILLVSTRIS NOMINIS TVI

Lipſiae
d. 20. Decembr.
1748.

OBSERVANTISSIMVM CVLTOREM

HENRICVM GOTTLOB SCHVLERVM.



§. I.



Successionem in feuda, recentiorem ipsis feudis, esse, decreta Longobardica satis euincunt. [a]) Principio precarii instar eorum instituta sese habuerunt, Possessores beneficiorum vsu pro lubitu et quacunque etiam ex causa interdici poterant. Cui primaeuae feudorum indoli, ad fugienda forsitan de fructibus percipiendis, repetendisque eorum gratia factis impensis, litigia, hoc postea additum est temperamentum, vt primum anno elapso, dein-

Successio in feuda recentior est feudis.

Conditio feudorum olim alia fuit, quam hodie.

a) I. F. 1. §. 1. in verb. Antiquissimo enim tempore sic erat in dominorum potestate connexum, vt quando vellent, possent auferre rem in feudum a se datam. Postea vero eo ventum est, vt per annum tantum firmitatem haberent. Deinde statutum est, vt vsque ad vitam fidelis produceretur.

deinde cum morte militis expirarent beneficia. Cui consequens est, feuda tunc temporis ad naturam vsusfructus accessisse, atque Obertum de Orto feudum per vsumfructum describentem, [b]) temporum antiquiorum habuisse rationem, quamuis parum curate; Saeculo enim XII. quo Obertus Mediolani vt Consul vixit, [c]) ad Vasallum feudum iure dominii pertinuisse, caret dubio. Dum Ludouicum Pium, Saec. IX. vitam degentem, iam Vasallis dedisse potestatem, feuda ad haeredes transmittendi, testis est Theganus, [d])

§. II.

Successu temporis feuda ad heredes transitoria facta sunt.

Subsequentibus igitur temporibus feuda alia forma adornata sunt. Mox ad filios, et quidem quem dominus eligeret, [e]) mox ad omnes aequaliter facta est transmissio, [f]) quae postea ad Nepotes, sub certo tamen onere, [g]) et fratres extensa.

b) II. F. 23.

c) OTTO Frisingensis Episcopus, de gest. Friderici I. Lib. I. cap. XII. verb. praesentibus, duobus consulibus eiusdem Ciuitatis, Oberto de Orto et Gerhardo Nigro.

d) in libr. de gest. Ludouici Pii, cap. 19. verb: in tantum largus, vt antea nec in antiquis libris, nec in modernis temporibus auditum est, vt villas Regias, quae erant sui et aui et tritaui, fidelibus suis tradidit eas in possessiones sempiternas.

e) I. F. 1. §. 1.

f) I. F. 1.

g) Constit. Conrad. verb: Si vero filios non habuerit, et auiticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat,

ſa.[h]) Tandem hoc acceſſit augmentum, vt fratrum quoque filii, ſeu patrueles, et non ita multo poſt caeteri etiam collaterales, primum ad ſeptimum gradum, deinde in infinitum [i]) feudi ſucceſſionis redderentur capaces.

§. III.

Succeſſio feudalis a ſucceſſione aliorum bonorum differt.

Quae Succeſſio feudalis, prae aliis ſucceſſionibus communita eſt, vt nulla ordinatione Vaſalli infringi queat. [k]) Quamuis enim alias placita Romana doceant, [l]) prouiſionem hominis, tollere prouiſionem Legis, indeque ex voluntate Legislatoris, ad haereditatem adſpirare permiſſum non ſit, quamdiu vltima ex voluntate haeres extet; haec omnia tamen circa feuda ceſſant, ita vt Vaſallo integrum haud ſit, haeredem ſibi eligere, potius neceſſe habeat, feudum iſti relinquere, cui ex pacto primi acquirentis et legum feudalium diſpoſitione, ius ſuccedendi acquiſitum. Tale feudum communiter ex pacto et prouidentia appellatur, cuius denominationis ſedes in iure Longobardico non eſt quaerenda, Natalitia ſua

De feudo ex pacto et prouidentia agitur.

 Dd. de-

beat, ſeruato vſu maiorum Valuaſorum in dandis equis et armis ſuis ſenioribus.

h) I. F. 1. §. 2.
i) I. F. 1. §. 4.
k) I. F. 8. pr.
l) l. 3. C. de Teſtam.

a Dd. inuentum est. Dd. debet, et quidem ex opinione ANDREAE ISERNIAE,[m]) Pileo et Bulgaro.

§. IV.

Feudum haereditarium feudo ex pacto et prouidentia opponitur. Feudo ex pacto et prouidentia, opponitur haereditarium feudum, cuius mentio pariter in placitis Longobardicis non occurrit, sed a Dd. ex cogitatum fuit, res ipsa tamen Iuri beneficiario non incognita. Quae 2. *F. 48.* traduntur, ad feudum haereditarium trahi vtique possunt. Feudum haereditarium recte vocatur illud, quod beneficio possessoris, ad ductum Iuris Ciuilis transmittitur. *describitur.* Varii sunt modi Iuris Ciuilis, quibus res ab vno in alterum transire potest. Non semper autem omnes illi modi, cum quolibet feudo haereditario connexi sunt, sed interdum vnus vel alter saltem apparet; felicissimo hinc euentu nubes materiam feudi haereditarii obscurantes diducuntur, si feudum haereditarium non vniformiter, sed certos ad gradus habito respectu consideratur. *non vniformiter considerari debet.* Quo ipso dubio, quod forsitan ex textu 2. *F. 48.* moueri possit, exemplum feudi haereditarii ibi traditum non ostendere, Vasallo ius, feudum ad foemineum sexum transmittendi, esse, quod tamen ex natura feudi haereditarii flueret, satis, opinor, factum.

§. V.

m) in Cap. I. de Succ. feud. n 7.

§. V.

E contrario, opinionem eorum, qui autumant, textum 2. *F.* 45. n) de feudo per pactum haereditario facto agere, meam haud facio. o) Satis clare apparet, ibi in successionem feudi proprii inquiri, et duo casus, qui circa successionem feudi contingere possunt, consideratione digni iudicantur. Disquiritur nempe primum, si Vasallus debitis non feudalibus oneratus, decedat, feudumque cum allodio ad agnatos deuoluat, an his integrum sit, allodium

Textus II. F. 45. de feudo proprio non haereditario agit.

Vlterius explicatur.

 repu-

n) Integer textus ita sonat: Si contigerit, Vasallum, sine omni prole decedere: agnatus, ad quem vniuersa haereditas pertinet, repudiata haereditate, feudum, si paternum fuerit, retinere poterit: nec de debito haereditario aliquid feudi nomine soluere cogitur: Sed in fructibus, si quos reliquerit, vt de eis debitum soluatur, quo tempore decesserit, (secundum quod supra diximus,) considerabitur. Vbi vero filium reliquit, ipse non potest haereditatem sine beneficio repudiare: sed aut vtrumque retineat, aut vtrumque repudiet:

o) Inter Neapolitanos et Pileanos test. Rosenthal. in tr. *de feud. cap. 7. concl. 20. et 21.* olim fuit disceptatio, de qua feudi specie text: II. F. 45. capiendus. Neapolitani autumarunt, de feudo ex pacto et prouidentia ibi sermonem esse, per feudum vero ex pacto et prouidentia intellexerunt illud, vbi in literis inuestiturarum vox haeredum non occurrit, voce autem ista extante, feudum haereditarium vocarunt, cit: *concl. 20. n. 1. sqq.* Pileani e contrario docuerunt, commemoratum textum non de feudo ex pacto et prouidentia, sed de informi, quod scilicet simpliciter collatum sine liberorum aut haeredum mentione. ROSENTHAL. *cap. 2. concl. 50. n. 1.* vel etiam de haereditario, pro se nimirum et haeredibus concesso, accipiendum esse. *cit. concl. 21. n. 1. sqq.*

repudiare; feudum autem retinere. Quod recte affirmatur, quum feudum istud non beneficio possessoris, sed ex pacto primi acquirentis, et dispositione iurium feudalium ad agnatos transmittatur, proin eo casu duplex succedendi ius deprehenditur; in feudo succeditur, dum primus acquirens omnibus suis masculis descendentibus prospexit, et Iura Feudalia in tantum huic prouisioni primi acquirentis accedunt, omnesque eius descendentes ad successionem vocant, vt vltimus possessor nihil conferre, nihil auferre queat. Ad potestatem autem, allodium capiendi, possessor omnino facit, quando enim tabulas vltimae voluntatis non conficit, successoremque non nominat, mens est, vt propinquis bona maneant. Duplici itaque succedendi iure extante, vno repudiato, altero vti permissum. Quod si autem Vasallus obaeratus filium relinquat, an etiam huic liceat, separationi feudi ab allodio studere, et allodii successioni renunciare, feudum autem capere? Alter casus est, quem textus cit. proponit, et ita decidit, vt filius necesse habeat, feudum et allodium simul retinere, aut vtrumque missum facere; nec absque ratione. Feudum a patre ad filios translatum, est haereditarium non pacto, sed iure tale, licet alias feudis ex pacto et prouidentia annumeretur, haec tamen qualitas tamdiu suspenditur, quamdiu respectus habetur ad transmissionem a Patre ad filios factam. Quo cessante, qualitas feudi pristina iterum conspicitur,

citur, et feudum ex pacto et prouidentia reputatur. Cuius rei haec sit demonstratio: Iura Romana haereditatem ad vniuersitatem et rem indiuiduam referunt, [p]) quae in partes dispesci non potest, vt videlicet partem haereditatis retinere, partem repudiare sit permissum, potius volunt Leges, vt tota haereditas acquiratur, aut omittatur. [q]) Quae Iuris Romani placita Compilator, Iuris Feudalis transmissionem feudi a Patre ad filios faciendam considerans, Iuri Longobardico eo magis immiscuit, quo certius est, liberos ex iure Naturae obstrictos esse, studere, vt Parentum honos, eorumque facta conseruentur.[r]) Aliud secundum Ius Germanicum statuendum, quod filiis permittit allodium repudiare et in feudo succedere.[s])

Ius Germanicum recedit a textu II. F. 45.

Quo

p) l. 1. pr. ff. de interdict.

q) l. 1. 2. et 80. pr. ff. de acquir. vel omitt. haer.

r) Iura Patria eo respiciunt, dum in Resol. Grauam. de anno 1661. §. 71. disponunt: Gleichwie auch, zum ein und siebenzigsten, an ihm selber der natürlichen Erbar- und Billigkeit, auch der Ehrerbietung, und Gehorsam, welches GOttes Geboth und Ordnung von denen Kindern ernstlich erfordert, gänzlich zuwieder, wenn ein Sohn seines Vaters Contract und Handlung anzufechten sich untersteht; Also hat es auch ebenmäßige Beschaffenheit; Wenn ein Sohn seines Vaters Lehn-Guth, das mit Schulden, so mit Bewilligung des Lehn-Herrns auf das Lehn nicht verschrieben, behafftet, und das Erbe zu Bezahlung derselben nicht zureichet, sich nicht anmassen, sondern in fraudem Creditorum, denen Mit-Belehnten überlassen, und solchergestalt denen Gläubigern praejudiciren wollte.

s) in Iure Prouinc. Lib. II. art. XXI. verb: Hat auch ein Mann einen

Quo ſatis euincitur, feudum a patre ad filios transmiſſum, iuxta praeſcriptum Iuris Germanici, priſtinam naturam ad tempus non deponere, et haereditarium fieri, ſed manere tale, quale erat; neque diſcrimen inter caſus, an feudum ad agnatos, an vero ad filios tranſeat, admittendum, quum iure Germanico feudum non niſi ad filios veniat. t)

§. VI.

Ius Saxon. Electorale aliter textum II. F. 45. interpretatur.

Ius patrium quidem explicationi noſtrae textus *II. F. 45.* non aſtipulatur, u) potius ſententiam contrariam defendit, quod nempe filio integrum ſit, feudum ex pacto retinere, et allodium repudiare. Verum cum Conſtitutio Electoralis Ius Feudale Commune ſaltem interpretetur, iſtam interpretationem autem neutiquam vt normam proponat, potius filiis iniungat, feudum et allodium a patre relictum vna acquirere aut vtrumque omittere, nobis permiſſum erit, iſtam ſententiam, quam Conſtit. Elect. Iuri feudali

einen Sohn, der ſein Lehens-Erbe iſt nach Lehn-Recht, er behält ſeines Vaters Gebäude gar auf ſeinen Lehen, mit mehrern Rechte, denn der ſein Erbe iſt, nach Land-Recht.

t) Iur. feud Saxon. cap. XXI. in fin.

u) Conſtit. El. XLVII. P. II. in verb: Nach gemeinen Rechten muß der Sohn zugleich des Vaters Erbe mit ſeyn, da er die Lehn-Güther von ihm ererben will, und kan ſich der Erbſchafft nicht äuſern, und die Lehen behalten: es ſey dann feudum ex pacto, und er thue ſich der Erbſchafft vermittelſt eines gebührlichen Inventarien unterfangen, dießfals kan er das Lehen behalten.

dali communi tribuit, deserere, potissimum quum Edictum Torgau. w) alii opinioni accedere videatur.

§. VII.

Pater inter liberos de feudo disponere potest.

Quum igitur satis probatum datum fuerit, feudum a Patre ad filium transmissum, haereditarium esse, recte inde coniicitur, Patri ius competere inter filios de feudo testandi; quod in Iure feudali diserte quidem non traditur, ex principio tamen in §. V. sufficienter demonstrato, haec thesis optime defenditur. Et licet Ius Feudale ordinationem super feudo per vltimam voluntatem in tantum prohibeat, vt ne quidem pro anima iudicare sit permissum; x) haec omnia tamen fallunt, vbi feudum a patre ad filios transmittendum.

Obs. text. II. F. 9. §. 1.

§. VIII.

Pater filium ingratum sine consensu Domini exheredare, et a feudo excludere potest.

Varia hinc fluunt; ita pater filium ingratum a successione feudi per exhaeredationem iure suo excludit, neque consensu domini eget, nisi feudum ad alium, cui ius succedendi non est, transmittere velit, quo casu domini consensu non in exhaeredationem, et exclusionem filii a feudo, sed in transmissionem feudi in alium faciendam, opus habet. Imo Patri integrum

recte etiam filiis iniungit,

tegrum

w) §. Da aber ein Vater rc. verb. auf solchen Fall soll demjenigen, was in Tit. an agnatus vel filius, verordnet, ohne Unterscheid, ob bey der Belehnung derer Erben gedacht sey oder nicht, und also in feudo ex pacto so wohl, als in haereditario stracks nachgegangen werden.

x) II. F. 9. §. 1.

vt filias ad feudum admittant.

tegrum est, filiis in testamento iniungere, vt filias admittant ad feudum; quae dispositio efficere quidem haud potest, vt Dominus filias simul de feudo inuestiat, sed hoc indubie operatur, vt filiae suas partes ex fructibus feudi capiant. z) Interim pater non omnibus filiabus talem fauorem tribuere obstrictus est, nec filiae ex feudo nihil capientes, dispositionem paternam impugnare valent, quum facultas patri, inter liberos de feudo testandi concessa, vnice ipsius, minime liberorum commodum respiciat; satis vero notum, cuilibet liberum esse, iure pro se introducto vti, et non vti, a) et neminem inde iniuriam sentire. Pariter inter filios feudi diuisionem recte instituit Pater, vt illud certi pretii aestimet, indeque cuilibet suam portionem assignet, insimul disponens, cui ex filiis feudum cedat, et qui reliquis determinatam quantitatem praestet. Cui materiae vberius exponendae operam nunc nauabo.

non autem omnibus filiabus talem fauorem tribuere debet.

Pater inter liberos feudi diuisionem valide instituit. Transitio ad thema.

§. IX.

Casus ventilandus proponitur.

Vt autem de mente nostra eo clarius constet, casum, cuius discussioni studere, animus potissimum est, praemittimus. Iauolenus duo possidet feuda, Bernhardinum, et Ambrasianum, et pater est quatuor filiorum, Caii, Maeuii, Titii et Sempronii. Vltimae

z) HORN. Disp. de testamentar. Patris circa feudum dispositione. §. 34.

a) L. pen. C. de pact.

Vltimae voluntatis tabulas conficit, b) in quibus cuilibet filio 11000. Imperial. vt portionem feudalem tribuit, cumque in finem Feudum Bernhardinum 20000. Imperial. Ambraſianum autem 24000. Imperial. pendet, et Caio filio Bernhardinum, Maeuio vero Ambraſianum adſcribit, onus addens, vt ille ſummam 9000. Imperial. hic vero 13000. Imperial. praeſtet, quam Titius et Sempronius aequis accipiant partibus. Iauoleno decedente, filii eius paternae voluntati morem gerunt, et poſtquam omnes de Feudo Bernhardino et Ambraſiano inueſtiti ſunt, de diuiſione a patre ordinata ſolliciti ſunt; qua facta Titius et Sempronius, dominio vtili in feudis paternis antea adepto, abdicant, Dominum directum tamen adeunt, vt ipſis ſimultaneam Inue-

b) Quarum tenor huc ſpectans talis eſt: Es ſoll meinem Sohne Caio das Ritter-Guth B. mit allen deßen Pertinentien, wie es vorhergehender maßen ſpecificiret worden um und vor zwanzig tauſend Thaler krafft dieſes überlaßen ſeyn, und das pretium folgender geſtallt abgeſtattet werden, als Eilff tauſend Thaler behält er auf ſeine Lehns Portion inne, und Neun-tauſend Thaler bezahlt er auf Abſchlag ſeiner Lehns Portion dem Bruder Titio. Belangende das Ritter-Guth A. Dieſes ſoll mit dem vorherbeniemten Inuentario und Zugehörunge meinem Sohne Maeuio um und vor vier und zwanzig tauſend Thaler, nachfolgender geſtalt zu bezahlen, hiermit und Krafft dieſes überlaßen ſeyn; als Eilff tauſend Thaler behält er inne zu ſeiner Lehns Portion, Zwey tauſend Thaler bekömmt ſein Bruder Titius, zu Ergänzung ſeiner Lehns Portion, und Eilff tauſend Thaler werden dem andern Bruder Sempronio zu ſeiner Lehns Portion entrichtet.

ſtituram in Feudo Bernhardino et Ambraſiano conferat, quibus precibus et dominus adſtipulatur. Poſt certam annorum ſeriem, Maeuio ſine haeredibus Maſculis obeunte, inter filias ipſius, et Titium et Sempronium ſuper ſucceſſione in feudo lis oritur. Filiae Patruis non totum feudum cedere, ſed ſummam ſaltem 11000. Imperial. inde deberi, autumant; Patrui autem contendunt, ſe totum feudum Ambraſianum acquiſiuiſſe. Huius Controuerſiae deciſionem in ſubſequentibus ſuppeditabimus, hoc ſeruato ordine, vt prius ſententiam, quam defendere conſtitutum habemus, proponamus, eiusque fundamenta ſubiiciamus, poſtea autem argumentis contrariae opinionis confutandis, admoueamus manum.

Ordo thematis tractandi.

§. X.

Adſunt rationes, intentionem filiarum adiuuantes, extant etiam fulcra, quibus Patruorum ſententia nititur. Hinc et ICtorum iſta de controuerſia non vna, eademque eſt opinio, vti paulo poſt apparebit. Nos partes Patruorum defendimus, aſſerentes, quod diuiſio feudi a patre facta ſucceſſionem agnatorum ſimultanee inueſtitorum non reſtringat. Antequam vero argumenta noſtra in medium proferamus, operae pretium erit, diſcrimen inter ſimultaneam Inueſtituram ad certam ſummam, pecuniam feudalem, (Lehn-Stamm) et quantitatem ex feudo praeſtandam (Lehns-Quantum) demonſtrare.

Diuiſio feudi a patre facta, ſucceſſionem agnatorum ſimultanee inueſtitorum non reſtringit.

Diſcrimen inter ſimultaneam inueſtituram ad cer-

ſtrare. Simultanea Inueſtitura ad certam ſummam, quae et non raro Lehn = Stamm vocatur, c) ius ſuccedendi in ipſa ſubſtantia feudi tribuit, pro ea ſcilicet feudi parte, quam ſumma determinata conſtituit, vnde ſi v. c. feudum 30000. Imperial. conſtet, et aliquis in coniunctam manum ad 10000. Imperial. adoptatus ſit, ius ſuccedendi in tertia feudi parte competit, dum enim poſſeſſor feudi a Domino directo petit, vt hunc vel illum ſimul de feudo, attamen non in ſolidum, ſed ratione certae quantitatis habita inueſtiat, et Dominus tali modo ſimultaneam Inueſtituram peragat, mens et Vaſalli et Domini eſt, vt ſimultanee Inueſtitus, actu iam iure reali in feudo gaudeat, itaque, ſi feudum ipſi deferatur, non determinatam quantitatem inde capiat, ſed in ipſo feudo pro iſta quantitate ſuccedat. Pecunia feudalis requirit, vt ſuper certa pecuniae ſumma negotium feudale celebratum, ideoque in re mobili feudum improprium conſtitutum fuerit. Circa quantitatem autem ex feudo praeſtandam, nullus nexus feudalis, nulla indoles feudi apparet, hinc allodii iure omnino cenſetur, niſi ſucceſſio pactitia feudalis ipſi tributa fuerit. Ad talem quantitatem pecuniae ſumma recte refertur, quam ſimultanee Inueſtiti

tam ſummam, pecuniam feudalem, Lehn-Stamm, et quantitatem ex feudo praeſtandam, Lehns-Quantum, demonſtratur. Simultanea inueſtitura ad certam ſummam exponitur.

Pecunia feudalis.

Quantitas ex feudo praeſtanda.

c) Quo ſenſu videtur occurrere in O. P. S. R. Tit XL. §. 3. verb. denen Mitbelehnten nur ein gewiſſer Lehn = Stamm, oder auch nur ein gewißes Lehns = Quantum ausgeſetzet iſt.

ueſtiti accipiunt, [d]) indeque vi Litterarum Reuerſalium ab ipſis exhibitarum, feudum delatum, iis, quos Vaſallus denominauit, tradere ſunt obſtricti. Iſtius quantitatis ſimultanee Inueſtiti optimi ſunt moderatores et arbitri. Pariter huc ſpectat pecunia, quam ii accipiunt, qui feudum delatum con-ſucceſſori tribuunt, pro portionibus ſuis certam ſummam ſibi ſtipulantes, vbi interdum conuenit, vt in iſta ſumma aliquando inſtar feudi ſuccedatur. Haec praemiſſa defenſionem ſuſceptam egregie adminiculantur.

§. XI.

Primum argumentum, quod diuiſio feudi a patre facta ſucceſſionem agnatorum ſimultanee inueſtitorum non reſtringat.

Titius et Sempronius ſimultaneam Inueſtituram, allato in caſu, intuitu feudi Ambraſiani rite impetrarunt, indeque ius praeſentaneum reale in ipſo feudo adepti ſunt, per quod, ſi poſſeſſor aliquando improlis decedat, ſuccedant. Pro huius Iuris immutabilitate tamdiu militat praeſumtio, quamdiu cauſa illud vel tollens, vel minuens non apparet, nullam autem adeſſe cauſam, quae Ius Titio et Sempronio ex ſimultanea Inueſtitura quaeſitum, vel irritum, vel limitatum faciat, mox probabitur.

§. XII.

Secundum argumentum.

Tabulae teſtamentariae a Iauoleno confectae ante omnia conſiderandae veniunt. Equidem non nego;

d) Ius reale haec pecuniae ſumma in feudo non operatur. O. P. S. R. Tit. XLV. §. 6. verb. noch denen Mitbelehnten wegen eines Lehn-Quanti ein Ius reale an Lehn-Güthern zuſtehe ꝛc.

go, patrem iure gaudere, inter filios modum determinandi, adquem in succeſſione ſemper reſpiciendum, quemadmodum et concedo, quod ſimultanea Inueſtitura ex Ordinationibus et pactionibus ſuam patiatur interpretationem: e) attamen in praeſenti non quaeſtio poteſtatis, ſed voluntatis diſcutienda. Curatius itaque verbis teſtamenti conſideratis ſupra in nota ſub b. §. IX. ſubiecta, allatis, nihil inuenire licet, cur Ius Simultaneae Inueſtiturae Titio et Sempronio collatae, certis cancellis ſit includendum. Neque verba Tabularum, neque mens teſtatoris, nec res, de qua ordinatum, comprobant, extare hic normam, cuius ſit habenda ratio, quoties inter deſcendentes teſtatoris ſucceſſio contingit. Structura verborum portionem feudalem continet, quae recte vocatur pecuniae ſumma, cuius quilibet filius in contemplatione aeſtimationis feudi particeps redditur. Huic quantitati, natura feudi, minime ineſt, ſed eſt et manet res allodialis, ſicuti pretium ex feudi alienatione comparatum, ab indole feudi, quam maxime alienum, f) quum applicatio Canonis: Surrogatum ſapit naturam eius, in

e) Ad quod rationes decidendi ſententiae noſtrae opinioni contrariae reſpiciunt; dum legitur: indem die geſammte Hand regulariter zwar bey dem feudo ſelbſt in Anſehung des Lehns-Herrn bekennet wird, ſolche aber keinesweges die in der Familie verhandene Lehns Pacte und Verordnungen derer Vor-Eltern zwiſchen denen Deſcendenten, Beſitzern und Agnaten aufhebet ꝛc.

f) SCHRADER. de feud. P. VII. c. 2. n. 34.

in cuius locum surrogatur; indubie cesset. Pater, autor commemoratae vltimae voluntatis communionem feudorum, post ipsius obitum, ad filios transmittendorum, matrem multarum discordiarum iudicauit; [g]) hinc de illa vitanda laudabiliter sollicitus fuit. Propositum igitur tenuit, diuisionem feudorum instituendi, commoda autem feudorum diuisio ipsi visa fuit, quando feuda certa pecuniae summa aestimet, et duobus filiis feuda tribuat, alteros pecunia contentos esse, iubeat. Quemadmodum autem diuisione feudorum ad praescriptum patris facta, huius voluntas expleta, nihilque superest, quo voluntati paternae mos vlterius gerendus; ita in futurum voluntas illa considerationem non meretur, proin nec fundamentum esse potest, vnde Simultaneae Inuestiturae Titio et Sempronio concessae, explicatio petenda. Tandem a diuisione feudi ad constitutionem feudi in pecunia, vel simultaneam Inuestituram ad certam pecuniae summam, sequela valet nulla. Ad constitutionem feudi in pecunia Inuestitura requiritur, [h]) et simultaneam inuestituram non nisi Dominus feudi, circa quod conceditur, confert, diuisionem feudi autem in nostro casu pater solus peregit.

§. XIII.

g) L. 26. ff. de seruit. praed. vrban.

h) Const. Elect. XXX. P. III. verb. und wenn das Geld durch den Lehns Herrn zu Lehn gemacht, so soll es vor Lehn gesprochen werden. An vero hic per dominum, superioritate territoriali gaudens intelligatur, vti Carpzou. ad hanc Const. Def. 10. n. vlt. autumat, adhuc in controuersia haeret.

§. XIII.

Quid multa? Et si inter Caium, Maeuium, Titium et Sempronium conuentum, vt sibi inuicem quandoque in certa pecuniae summa succedant, atque pro ea cautionem interea praestent; Inde tamen simultaneae Inuestiturae a Titio et Sempronio circa feudum Ambrasianum impetratae, limites haud ponuntur. Diuersi actus, diuersos pariunt effectus. i) Et aliud omnino est, per pactum determinare certam pecuniae summam, in qua suo tempore succeditur; aliud simultaneam Inuestituram acquirere, et in societatem dominii recipi. Nullus itaque dubito, quin, si pro summa a fratribus commemoratis definita, non in feudo Ambrasiano, sed alia re, cautio a Maeuio constituta fuerit, hoc sine haeredibus masculis decedente, Titius et Sempronius non solum istam summam lucrantur; verum etiam ex simultanea inuestitura in feudo Ambrasiano succedendi ius deriuant. Neque obstat, quod duae causae lucratiuae in vna eademque persona concurrere nequeant; k) siquidem axioma istud vnam eandemque rem requirit, puta si res aliena legata, et eius rei, viuo testatore, legatarius dominus factus fuerit: siquidem ex causa emtionis, ex testamento actione, pretium consequi potest. Si vero ex causa

Tertium argumentum.

Agnati simultanei inuestiti praeter feudum interdum et portionem feudalem lucrantur.

i) Tabor. thesaur. loc. commun. Lib. IV. c. LIII. §. 11.
k) §. 6. Inst. de Legat. l. 108. §. 4. ff. de legat. I.

causa lucratiua, veluti ex donatione, agere nequit. [l]) In nostro autem casu de duplici re sermo est, nempe de quantitate conuenta, et praedio feudali. Satis igitur probatum dedi, opinor, Patruorum intentionem §. IX. indicatam fundatam esse. Quam opinionem et ICti Hallenses in Responso Mens. Iul. 1743. exhito [m]) propugnarunt.

§. XIV.

Argumenta opinionis contrariae adducuntur.

Sunt tamen et rationes, quae alteri opinioni, filiabus Maeuii victoriam causae tribuenti, praesidium

l) §. 6. Inst. de Legat.

m) et inter alia rationibus sequentibus vsi sunt: Hieraus aber keines weges folget, daß der Testator diese Eilff tausend Thaler Lehns Portion, als welche damahln, pro re nata, zufälliger weise, nach Anzahl der Kinder und Güther, oder auch allenfals ex pietate erga liberos, nur so hoch determiniret, in Zukunfft, ie und alle wege pro norma bey denen Männlichen descendenten dergestallt veste setzen wollen, daß wenn sie nur dieses Quantum an denen quaest. Lehn-Güthern ungeschmälert behielten, von den übrigen pro lubitu gebahret, und tam inter viuos, quam mortis causa disponiret werden könnte, immaßen hiervon in dem Testamente kein Wort enthalten, auch Gegentheils intention schnurstracks wieder des Testatoris Absicht und in effectu dahinaus lauffen würde, als ob selbiger in denen benannten Güthern seinem Herren Sohne weiter nichts, als nur einen Lehnstamm auf Eilff tausend Thaler ausgesetzet, welches jedoch dem Testatori weder in die Gedancken kommen, noch verba testamenti mit der Beschreibung des Lehnstammes, vbi certa pecuniae quantitas cum domini superioris consensu qualitate feudali afficitur. Burck. Gotth. Struu. Iurisprud. c. 5. §. 14. übereinkommen rc. rc.

dium afferunt, [n]) quas ponderare, ratio promissi exigit. Pro Filiabus facit I. voluntas, aui, Iauoleni, *Primum argumentum ex voluntate vltima petitum.* in qua certa portio feudalis determinata, quae obiectum successionis feudalis in futurum constituit atque efficit, vt simultanea Inuestitura circa feudum Ambrasianum impetrata, ex illa voluntate aui aestimanda, vt scilicet ad summam 11000. Imperial. acquisita censeatur. II. Aequalitatis studium, filiarum *Secundum ex aequalitatis ratione.* intentioni suffragatur; quemadmodum enim Titius et Sempronius, si sine haeredibus masculis obiissent, Maeuio superstiti vltra summam 11000. Imperial. aliquid relinquere, haud fuissent obstricti; ita et aequitas postulat, vt Titius et Sempronius ex bonis Maeuii maius lucrum non capiant. Potissimum cum *Tertium ex fauore filiarum.* III. Maeuius aliam pecuniae summam, quam ad filias

vid. Horn. Iurispr. feud. c. 4. §. 28. it. Fleischer Instit. Iur. feud. c. 5. §. 23. ibi. ex quo apparet, aliud esse der Lehn-Stamm, aliud, simultanea Inuestitura, siue Mitbelehnschafft ad certam summam. Istud praedio feudi inhaeret, et semper agnatis debet manere saluum: Haec autem agnatis Ius succedendi praebet; Agnatus quoque bey dem Lehn-Stamm, casu existente, quantitate summae contentus esse debet, simultanee Inuestitus vero in ipsam feudi substantiam ius succedendi habet, nec contentus esse debet ista quantitate vel summa, de qua actum:

Jedoch in praesenti auch keine Mitbelehnschafft ad certam summam ratione Beklagtens erfindlich 2c. 2c.

n) quemadmodum et summum Prouocationum Iudicium, quod Dresdae est, anno 1742. in causa C. G. R. contra I. C. et K. G. R. aliter iudicauit.

lias transmittere potuisset, in portiones fratribus praestandas, impendere, necesse habuerit, qua summa autem filiae priuantur, si patruis totum cedat feudum. Verum haec tela nos haud mouent, ad castra aduersariorum transire, cum clypeo veritatis declinari possint.

§. XV.

Confutatio argumenti primi.

Iam supra §. XII. monuimus, nullum esse dubium, quin Iauolenus in tabulis vltimae voluntatis disponere, qua ratione inter filios suos, eorumque descendentes, successio in feuda relicta, si eorum possessores improles decederent, instituenda, itaque modum adiicere potuisset, ad quem simultanea Inuestitura a Titio et Sempronio postea impetrata, restringenda fuisset. Verum negatur iterum, Iauolenum in condendis tabulis talem fouisse mentem; contextus earum in nota sub *b.* ad §. IX. exhibitus, satis clare commonstrat, testatorem ad tempora futura minime respexisse, sed solum id efficere voluisse, vt post obitum suum omnibus altercationibus, quae forsitan super aestimatione feudorum, et quis ea sibi tribuere queat, oriri potuissent, obices ponantur. Neque nocet, quod portionis feudalis mentionem iniecerit, siquidem in re ista exprimenda solum praesentis non futuri temporis rationem pariter habuit, nullum enim vestigium apparet, vnde coniici queat, Iauoleno normam successionis inter descendentes suos

Vltima voluntas ad tempora futura non trahenda.

in

in futurum obſeruandam praeſcribendi, animum fuiſſe; potius contrarium inde elucet, quia animus fideicommittendi non praeſumitur, ſed probandus.[o]) Et ſi ad Simultaneam Inueſtituram reſtringendam non ſufficeret, ſi Iauolenus ordinaſſet: **Und ſoll jeglicher meiner Söhne einander 11000. rthlr. Lehnſtamm halten ꝛc.** vti §. XIII. demonſtratum dedimus, multo minus reſtrictio ſimultaneae Inueſtiturae ex verbis teſtameuti allegatis, colligi poteſt. Aliter ſentiendum, ſi Iauolenus dixiſſet: **und ſoll jeglicher meiner Söhne einander 11000. rthlr. Lehnſtamm halten, und auf ſo hoch die geſammte Hand, welche nach meinem Tode meine Söhne** Titius **und** Sempronius **an denen Güthern** A. **und** B. **ſuchen mögten, verſtanden werden.** Tunc ſole meridiano clarius foret, ſimultaneam inueſtituram non indefinitos, ſed definitos producere effectus.

§. XVI.

In ſucceſſione aequalitati in tantum tribuimus locum, in quantum de iure ſuccedendi eſt ſermo, vt ſcilicet hoc reciprocum ſtatuatur:[p]) Vnde recte defenditur, quod, ſicuti liberi naturales patri certa ratione *Secundi.*

 tione

o) Mantic. de coniect. vltim. volunt. Lib. 8. tit. I. n. 24. Maſcard. de probat. Vol. II. concl. 776. n. 2. Knipſchild. de fideicom. fam. c. 14. n. 44.

p) l. u. C. de legit. haered.

tione in fextante fuccedant, [q]) ita et pater caeteris paribus, talis fit fucceffor liberorum naturalium. [r]) Quod tamen in patre adoptiuo limitatur, huic enim et filius extraneus adoptatus fuccedit, [s]) aft in patrem adoptiuum ius fuccedendi non deuoluitur, [t]) quum aequitatis ratio in contrarium militet, ne pater naturalis per fimplicem actum ciuilem fucceffione priuetur, quae tamen ex commiferationis caufa ad eum pertinet. [u]) Et pater adoptans teftamentum non condens, propria fponte admittit ad fucceffionem filium adoptiuum. Filius vero vtpote in facris paternis adhuc conftitutus, teftamenti factione carens, Patrem adoptiuum excludere nequit, et tamen praefumitur, patrem naturalem magis diligere, quam adoptantem; itaque velle, vt ille ipfi fuccedat, hinc fi adoptiuus pater fucceffionis effet capax, contra adoptati filii voluntatem admitteretur. [w]) Aliud autem iudicium omnino ferendum, fi de lucro et fucceffione fperanda agatur, ibi ftudium aequitatis inane, et efficere, impoffibile eft, vt v. c. fi fratrum fucceffio confideretur, frater fuperftes tantum ex bonis defuncti capiat, quantum ad hunc perueniffet, fi ille fupremum

q) Nou. 89. c. 12. §. 4. Auth. licet C. de natural. liberis.
r) cit. Nou. c. 13. et Auth. allegat.
s) l. 10. §. 1. C. de Adopt.
t) §. 2. Inft. de Adopt.
u) l. 7. §. fin. ff. vnde lib.
w) Stryck in tr. de fucceff. ab inteft. c. 3. art. I. §. 31.

premum diem obiisset. Tota videmus die, quod vnus frater inopia laboret, alter abundet opibus, vbi illo decedente, hic parum aut nihil lucratur; hoc autem de vita migrante, ille summas acquirit diuitias. Nullius itaque valoris est fundamentum, quod filiae Sempronii ex aequalitatis studio petunt.

§. XVII

Quod et de vltimo contrariae opinionis argumento statuendum. Qui in societatem inuestiturae recipitur, feudo ad ipsum deuoluto, praeter debita feudalia, aliquid praestare non est obstrictus. Et licet interea meliorationes referantur, x) minime tamen debitis feudalibus annumerari potest, quod Vasallus erogauit, vt aes alienum intuitu feudi contractum, tollatur. Meliorationes sunt commoda, quibus feudum antea caruit, Vasalli autem impensis allata sunt. Vnde et Dominus, ad quem feudum reuertitur, obligatur, haeredi Vasalli ob meliorationes facere satis, quum et ipsius vtilitas promota, et plus recipiat, quam dederit. Solutio autem aeris alieni, quod Vasallus ob feudum debet, commoda feudi non auget, feudum eandem praebet vtilitatem, siue tale debitum sit extinctum, siue non, quapropter iure singulari in feudo succedens obstrictus non est, haeredi Vasalli aliquid praestare, quia defunctus pe- *Tertii.*

cuniam

x) II. F. 28. §. si Vasallus.

cuniam expendit, quam ob feudum debuit. Maeuius igitur fratribus suis portiones feudales soluens, fructus feudi non multiplicat, proinde nec haeredibus suis ius, indemnitatem petendi, acquirit. Neque obstat, quod venditor feudi residuum pretii, quod emtor debet, post huius obitum, ab eo, ad quem feudum peruentum, exigere queat,[z]) et si allato casu Maeuius fratribus suis portionem feudalem non praestitisset, ipsis ius, a filiabus defuncti, aliquid petendi, haud fuisset, indeque fluere videatur, quod filiae Maeuii ad solutionem portionum feudalium Patruis factam confugientes, a feudo paterno in totum arcendae non sint; haec omnia enim ad statum controuersiae non pertinere, mox demonstrabimus. Qui feudum vendidit, et de parte pretii fidem habuit, simultanee inuestitorum commodis inseruit, siquidem fide de parte pretii non habita, feudum ad emtorem non transiisset, hocque non facto, feudum ad simultanee inuestitos peruenire non potuisset. Fidei igitur, quam venditor feudi de parte pretii habuit, translatio feudi ad simultanee inuestitos facta, vna adscribenda,

z) Const. Elect. XLVI. P. II. verb: also auch, da es sich zutrüge, daß einer zu Erkauffung etlicher Lehn-Güther, Geld aufgenommen, und hätte daßelbige, so er zu nichts anders, dann zu Bezahlung des Guthes angewandt, gantz oder zum Theil bey seinem Leben nicht abgeleget, so soll dieselbe Schuld, durch die Lehns-Folger, welche solche Lehn bekommen, bezahlet werden.

benda, quo ipſo, et reſiduum pretii, vt debitum feudale ſoluere obligantur. In noſtro autem caſu ſolutio portionum feudalium Titio et Sempronio praeſtita, translationem feudi, ne quidem adminiculatur, quum acquiſitioni ſimultaneae Inueſtiturae nullam dederit anſam. Quod autem fratres a neptibus ex fratre ſuas portiones feudales exigendi, iure careant, ſolutione earum ſubſecuta, filiabus Maeuii prodeſſe nequit, quamdiu enim portiones iſtae debentur, tamdiu debitum inde promanans, feudale eſt, et tunc cum feudo ad ſingulares ſucceſſores tranſit, ſolutione vero earum a debitore Vaſallo facta, feudum ab iſto onere eſt liberatum, proinde et ſine onere tunc tranſit, quemadmodum et tranſit, ſi emtor venditori reſiduum pretii ſoluerit.

§. XVIII.

Legitima debetur filiabus Vaſalli, qui portiones feudi a fratribus comparauit.

Interim non dubitamus, quin filiabus Maeuii legitima ex pecuniae ſumma debeatur, quam pater in ſolutionem portionum feudalium fratribus debitarum erogauit, modo maximam allodii partem conſtituat. Recte enim Iuris feudalis interpretes docent, filiabus legitimam deberi, ſi pater maximam partem bonorum in comparationem feudi impenderit, et quis negabit, ſolutione portionum feudalium fratribus facta, acquiſitionem feudi vna feciſſe, quum hac ratione partes fratrum ad ipſum venerint. Poſt obitum patris Iauoleni, Maeuius partem ſolum feudi



adeptus est, et fratrum portiones peculiariter acquirere, necesse habuit. Vnde sicuti feudum Ambrasianum pro portionibus reliquorum fratrum nouiter a Maeuio comparatum: ita termini habiles legitimae a filiabus petendae apparent. Haec de Iure Longobardico. Alia opinio secundum Ius Germanicum Feudale, et Saxonicum Electorale amplectenda, horum iurium habita ratione, filiabus in allato casu, ius legitimam ex feudo petendi, haud competit. Iure Feudali Teutonico inuestitura feudi, pluribus fratribus facta, cuilibet dominium vtile in solidum tribuit. a) Vnde vno improle decedente, superstites plus iuris in feudo non acquirunt; cui consequens est, Maeuium cum fratribus de feudo Ambrasiano inuestitum, dominium in solidum iam acquisiuisse, et diuisione a patre ordinata instituta, a fratribus suis nullum ius feudi in ipsum transmitti, et pecuniam in Iauoleni vltima voluntate determinatam, non pro portionibus fratrum, sed eum in finem solui, vt fratres dominio pariter in solidum acquisito se abdicent, illiusque solitarium exercitium Maeuio tribuant; quare et tale feudum nequidem pro parte nouum est. Iura patria igitur recte disponunt: b) quod eiusmodi casu

negatur iure feudali Germanico et Saxonico Electorali.

a) Iur. Feud. Saxon. c. XXXII.

b) in Decret. d. d. 17. Apr. 1700. verb: Dann wann unterschiedene Mitbelehnte zugleich, zur Succession gelangeten, und einer denen übrigen ihre Antheile abhandelte, weder das gantze Lehn, noch die erhaltenen Stücke pro feudo nouo zu achten,

casu adoptatio ad simultaneam inuestituram fieri nequeat; quippe quae circa feudum nouum regulariter locum sibi tantum vindicat. [c]) His praemissis, sententia recte fertur, quod Maeuii filiabus Iure Germanico legitima ex pecunia in solutionem portionum feudalium erogata, non debeatur; quia illa pecunia feudum nouum haud comparatum. Quod et Iure nostro Saxonico Electorali statuendum, prout Constit. ined. II. [d]) satis clare disponit.

§. XIX.

Cautela commendatur, quae in diuisione feudi adbibenda. A fratribus, qui portiones

Cautela igitur commendanda, vt, si cui casus similis accidat, feudum paternum non prius sibi soli arroget, quam si fratres, quibus, diuisione feudi facta, animus est, simultaneam inuestituram impetrare, de

ten, und deswegen auch neue Mitbelehnte anzugeben nicht zuzulaßen.

c) vid. Decret. allegat.

d) verb: Würde jemands unserer Unterthanen alle seine Baarschafft, so er selbst erworben, oder durch Veränderung seiner Erb-Güther zu Hauffe gebracht, zu Erkauffung eines gantz neuen Lehns, daran er zuvor keine Belehnung oder Anwartung gehabt, anwenden, und es erstreckte sich solches auf sein gantz Vermögen, oder den mehrern Theil deßelbigen, also daß er auch derentwegen an Erb-Güthern nichts, oder gantz wenig verließe; so sollen seine Töchter an statt der gantzen oder zum mehrern Theil entwandter Erbschafft, und also von solcher angewandten Baarschafft oder Kauff-Geld, von deßen Lehns-Folgern, ihren gebührenden Theil an der Legitima solches obberührten Kauff-Geldes zu fordern haben rc.

feudi cedunt, literae Reuersales exigendae sunt. de Litteris Reuerſalibus exhibendis fidem dent, in quibus ſe obſtringere debent, vt poſſeſſore feudi improle decedente portione feudali determinata contenti eſſe velint, eaque accepta feudum filiabus defuncti Vaſalli, vel ad quos transmittere hic voluerit, cedere. Ita poſſeſſor feudi ſucceſſoribus feudalibus deſtitutus, fata poſt obitum ſuum metuere non debet, quae in caſu hactenus ventilato contigerunt; ſiquidem feudo ad ſimultanee Inueſtitos deuoluto, hi tenentur, portione feudali accepta, feudum filiabus defuncti Vaſalli, vel quos haeredes ſuos fecit, tradere: [e]) Vbi tamen Dominus ante omnia adeundus,

e) In Litteris Reuerſalibus inter alia haec apparere debent: Woferne auch nach ſeeligen Abſterben N. ohne Männliche Deſcendenz, oder Abgang des von ihm poſterirenden Stammes, das Guth N. würcklich an mich oder meine Erben verfallen ſollte, und es wäre in einer Diſpoſition das Guth jemand zugeeignet, bin ich und meine Erben pflichtig gegen Erhaltung einer Summen von = = Rthlr. das Guth und Zugehörungen demjenigen, welchem es in der Diſpoſition überlaßen, abzutreten, oder daferne bey der Abtretung eine Bedencklichkeit ſich eräugnen ſollte; bin ich und meine Erben ſchuldig, das Guth mit Zuziehung deßen, welchem es in der Diſpoſition beſchieden, zu verkauffen, und das Kauff-Pretium ſelbigem zu überlaßen, oder nach deßen Verlangen, immaßen ihm hierinne die freye Wahl zuſtehet, das Guth ſelber zu behalten, und deßelben wahren Werth, welchen zwey Beyſtände, davon ich einen, und der benannte Erbe einen zu erwehlen, ſo wohl ein hierzu von beyden Theilen erbetener, und allergnädigſt verordneter Commiſſarius determiniren werden, den Erben nach Abzug obiger = = Rthlr. zu vergnügen: Sollte im Gegentheil nach Abſterben N. und ſeiner Männlichen Deſcendenz,

dus, vt in translationem feudi defuncti Vasalli haeredibus faciendam consentiat; Dominus enim cogi nequit; vt haeredes Vasalli ad acquisitionem feudi admittat, sed si consentiat, ipsius beneuolentiae tribuendum, quum inde praeiudicium oriatur, quod feudum a simultanee Inuestitis ad haeredes Vasalli allodiales transmissum, nouum fiat; itaque Dominus personis ab ipsis nominatis, simultaneam Inuestituram de nouo conferre necesse habuit; quo ipso autem apertura feudi in longius differtur tempus. Quodsi autem Dominus talem in translationem feudi consentire recuset; simultaneae Inuestiti de alienatione feudi, vel alio modo vltimam defuncti voluntatem implendi, solliciti esse debent.

§. XX.

Si fratres Literas Reuersales exhibere recusent, feudum extraneo vendendum.

Quid consilii autem tunc, si fratres feudum alteri fratri cedentes, litteras Reuersales exhibere, renuant. Imprudenter agit frater, qui feudum recipit, et in portionem feudalem fratribus soluendam pecuniam suam impendit, potius cum fratribus tamdiu in communione maneat, vsque dum occasio, feudum

scendenz, keine Disposition über das Guth N. sich finden, bin ich und meine Erben schuldig, denen vorhandenen Erben ab intestato das Guth gegen Erhaltung berührter Summe derer . . Rthlr. abzutreten, oder daferne die Abtretung sich nicht füglich thun lassen wollte, allenthalben zu gebahren; wie in dem vorherbefindlichen Casu verabredet worden.

dum extraneo vendendi appareat, vel fratres aliud propositum teneant, et ad Litteras Reuersales exhibendas sese offerant. Et licet pater filio feudum certa pecuniae summa aestimatum in vltima voluntate attribuerit, inde tamen non statim obligatio, feudum praecise accipiendi, deriuatur, quum vt plurimum ista voluntas fauorem filii contineat, cui renunciare permissum. Ponamus autem vinculum inde oriri, filius non raro optime sibi consulit, si totam haereditatem paternam repudiet.

§. XXI.

Diuisio feudi successionem Agnatorum nec iure Longobardico restringit.

Coronidis loco in quaestionem inquirere liceat. Quid Iuris? Si successio in feudo ad placita Iuris Longobardici ordinetur, an et tunc diuisio feudi a patre inter filios facta, successionem Agnatorum, pariter non restringit? Successionem Agnatorum in feudo paterno Iure Longobardico satis fundatam esse, dubio caret. [f]) Iura Longobardica simultaneam Inuestituram moribus vsitatam ignorant, successionem ex Iure sanguinis deriuantia. Nullum itaque est dubium, quin in nostro casu Maeuio improle decedente, Titius et Sempronius, iuris Longobardici habita ratione, in feudo Ambrasiano succedant. Et licet ille horum portiones non ita pridem acquisiuerit, indeque feudum Ambrasianum

f) I. F. 1. §. 4.

ſianum pro illis portionibus nouum reputandum eſſe, videatur, in feudo nouo autem collateralibus acquirentis nulla competat ſucceſſio; [g]) tamen feudum Ambraſianum paternum manet. Feudiſta enim alienationem feudi extraneo factam, ſolicite ab ea diſtinguit, qua feudum ab Agnato comparatur. [h]) Illa conſtituit feudum nouum; haec autem feudi naturam haud mutat. [i]) Titius et Sempronius igitur ius, in toto feudo Ambraſiano ſuccedendi, vt proximi Agnati Maeuii, recte ſibi vindicant. An vero accepta portione feudali, filiabus Maeuii feudum tradere, ſint obſtricti, eſt ſumma quaeſtionis circa finem Diſſertationis diſcutiendae? Et quum pro agnatorum iuris ſuccedendi immutabilitate pariter tamdiu militet praeſumtio, quamdiu cauſa illud vel tollens, vel minuens non appareat, et nulla demonſtrari poſſit cauſa, quae ius Titio et Sempronio ex Agnatione quaeſitum, vel irritum, vel limitatum faciat, negatiuae omnino ſubſcribimus.

g) I. F. 20. II. F. 11.
h) II. F. 39. pr.
i) Horn. in Iuriſpr. Feud. c. III. §. VIII.

